

Letter 11a: January 1518, [Basel], Capito to Hartmann von Hallwyl

This letter is not in Millet's list. It is at the beginning of Book Two of Capito's *Hebraicarum Institutionum libri duo* (Basel: Froben, 1518), ff. P1r – 2v, with the conclusion on f. li 3r.

Consilium fuit in Hebraeas literas isagogen haud quanquam grandiore tribus ternionibus Enchiridio psalterii, quod nuper Frobenius Hebraeum excusit, adiicere, qua rem grammaticam linguae sanctae, ad undecim [sic] ferme literas et nonnihil ad punctorum naturam collectam, illustri brevitae studiosis commendarem. Scribenti autem videbatur, suavissime Hartmanne, quam essem operaeprecium facturum, si alio ceu inventionis filo idem quodammodo argumenti prosequer, quo quis absque doctore sese instituens deprehendere tamen queat, quoties ipse et a vero quam longe secesserit, nempe superioribus ea conferens quae sequens liber eadem prope, et ad Latinam consuetudinem, retexuit, aut contra, dum ratio est vel casus fert, haec illis committens. Itaque nominum atque verborum inflexiones, vim, et naturam partium, ut vocant indeclinabilium, connectendique figuras, quantum rudibus sat sit, deliniabo potius quam exprimam, Theodori Gazae acumen utcunque imitaturus. Idque altero in libro, mox tertio, primitivorum energiam et significandi latitudinem perstricturus, quem tamen seorsum a prioribus aedam, quo liberum sit emptori comparare, aut illos duos grammaticae libros, aut hunc tertium, qui de vocabulis primogeniis, quas radices nominant, poenam habet instructissimam, etiam si alterutrum sine altero non admodum conducatur. Nam ita fore emptoribus magis accommodum, qui saepenumero iunctim pro libris nolunt expendere, quod separatim, velut inopinantes vel dupliciter insumptum non perinde sentiunt, pio Hieronymo Baldungo visum est, sano nimirum homini et profecto, qui non cessat pro literis eniti sedulo, quique e familia Baldungiorum, quae doctos et insignes viros peculiariter alit, eximium et clarissimum extet decus atque eius familiae lumen. Quandoquidem iureconsultissimus est, atque adeo cum sapientia legum et elocutionem emendatam Latinamque, et vires ac spiritum rhetoricum egregie coniunxit. Ad haec animi splendore, magnitudine, vigore incomparabili plane admirabilis supraque fidem in omnia celer et igne quodam, ut Plinius loquitur, volucris, omnium, ut semel dicam, capax. Qui iampridem ob miram in rebus aggrediendis prudentiam et gerendis dexteritatem Imp. Caes. Maximiliano factus est a consiliis et aliquot iam annos dicasterio provinciali in Ensisheim, quasi pectus adhaesit reliquo corpori, iustum aequumque diffundens, nuper vero omnium bonorum consensu in principem illam ac augustissimam Austriacae ditionis curiam apud Oenipontum, Austriae ducum sedem ac domicilium, inter primatum partium consiliarios allectus est, et amplissimo cohonestatus stipendio. Quamvis autem undis negotiorum totus propemodum est obrutus, nihilsetius tamen veterum monumentis tam gnaviter advigilat, imo tam sublimis etiamnum eminent, ut nescias utrum primas ociosis istis qui studio consenescent umbratili an huic alioqui multis curis impartito potius tribuas. Adde quod utrique abunde satisfacit: aulicis enim urbanum et facete gravem, philosophis et literarum professoribus literatum se praebet et sine supercilio philosophum. Tanti equidem viri sententiam non potui, mi Hartmanne, non vehementer approbare, non tam quod amicus est, quam quod expedire videbatur. Quantum enim ad sacra emolumenta adferant Hebraicae literae nemo credit, quam qui facto periculo rem ipsam audierit autorem, eoque vulgo tanquam ignotae minusque ex usu constanter negliguntur. Infundent autem sese, bene spero, in animum iuventutis minutatim per nostras has nugas praepositae. Porro tu fac duobus istis libris interea te oblectes, quousque cupidus lector tertium a Frobenio impetraverit. Impetrabit autem facillime, si modo illius sibi desyderium molestum esse hos cupide emendo testabitur...

Hactenus viam stravimus ad linguae sanctae peritiam, quam comite virtute gnaviter, mi
Hartmanne, capescas; alioqui vigilarum velut inanium me poenitebit, quas quidem extorsit
mansueta generosaque indoles tua, quas vel in hoc quoque benignius atque fidelius impendi, ut
45 iisdem primi templi Basileiensi venerando isti collegio clarissimoque nobilitate et nobilissimo
literatura, in quod nuper ceu ad futuram militiam nomen dederas, et honestum te et vere meritum
redderem, excitatum videlicet gloriolae stimulo; duraturae sunt nimirum in laudem tui, quatenus
laude dignus ipse perduras, sicut ediverso ad ignaviam, ad sordes vitiorum defluenti exuvium
erunt, ut dicitur, leonis super crocoton, et speculum te tibi insigniter deturpatum ostendens
50 arguensque malitiam deformati animi. Porro tertium librum absolutum non negabo studiosis si
quando videro nostrum hunc laborem non prorsus displicuisse. Vale.